



1660

---

M I S S A  
SACRAT. SPINEÆ CORONÆ  
D. N. JESU CHRISTI

Una ex Feriis VI. Quadragesimæ non impedita.

*Et concessione SS. D.N. Pape PII VI. die 21. Julii 1777. recit. in omnibus hared.  
Regn. & Provinc. August. Domus Austr.*

*Introitus. Cant. 3.*

**E**gredimini & videte Filiæ  
Sion Regem Salomonem  
in diademate, quo coronavit  
eum mater sua, parans Crucem  
Salvatori suo.

*Psalm. 8. Gloria & honore co-  
ronasti eum Domine: & con-  
stituisti eum super opera ma-  
nuum tuarum.*

*V. Gloria Patri, &c.*

*Dictur. Gloria in excelsis.*

**O R A T I O**

**P**resta quæsumus omnipo-  
tens Deus: ut qui in memo-  
riam passionis Domini Nostri  
JESU Christi Coronam ejus  
spineam veneramur in terris;  
a ipso gloria & honore co-  
ronari mereamur in coelis: Qui  
tecum vivit & regnat.

*Deinde fit Commemoratio Feriæ.*

*LECTIO libri Sapientiæ. Cant. 3. & 4.*

**L**ectulum Salomonis sexa-  
ginta fortes ambiunt ex  
fortissimis Israel: omnes te-  
nentes gladios, & ad bella do-  
ctissimi: uniuscujusque ensis  
super femur suum propter ti-  
mores nocturnos. Ferculum  
fecit sibi Rex Salomon de li-  
gnis Libani: Columnas ejus fe-  
cit argenteas, reclinatorium

aureum, ascensum purpureum:  
media charitate constravit.  
propter filias Jerusalem. Egre-  
dimini & videte Filiæ Sion Re-  
gem Salomonem in diadema-  
te, quo coronavit illum mater  
sua in die desponsationis illius,  
& in die lætitiæ cordis ejus.  
Quam pulchra es amica mea,  
quam pulchra es! Oculi tui co-  
lubarum, absque eo quod in-  
trinsecus latet. Veni de Libano  
sponsa mea, veni de Libano,  
coronaberis.

*Graduale*

Corona aurea super caput  
ejus, expressa signo sanctitatis,  
gloria honoris, & opus forti-  
tudinis.

*V. Quoniam prævenisti eum  
in benedictionibus dulcedinis:  
posuisti in capite ejus Coro-  
nam de lapide pretioso.*

*Tractus*

Induit eum Dominus vesti-  
mentis salutis, & indumento  
justitiæ, quasi sponsum decora-  
tum Corona. *V. Corona tribu-  
lationis effloruit in Coronam  
gloriæ, & sertum exultationis.  
V. Accepit regnum decoris,  
diadema speciei.*

*In Missis Votivis a Pascha usque  
ad Pentecosten.* Alleluja alleluja.

*V.* Corona aurea super ca-  
put ejus: expressa signo sancti-  
tatis, gloria honoris, & opus  
fortitudinis. Alleluja.

*V.* Tibi gloria Hosanna: ti-  
bi triumphus & victoria: tibi  
summæ laudis & honoris Co-  
rona. Alleluja.

*A Pentecoste usque ad Septuagesi-  
mam, Graduale*

Corona aurea super caput  
ejus, expressa signo sanctitatis,  
gloria honoris, & opus forti-  
tudinis.

*V.* Quoniam prævenisti eum  
in benedictionibus dulcedinis:  
posuisti in capite ejus Coro-  
nam de lapide pretioso.

Alleluja, alleluja. *V.* Coro-  
na tribulationis effloruit in Co-  
ronam gloriæ, & sertum exul-  
tationis. Alleluja.

✠ *Sequentia sancti Evangelii  
secundum Joannem, Joan: c. 19.*

**I**n illo tempore: Apprehen-  
dit Pilatus Jesum, & flagella-  
vit. Et milites plectentes coro-  
nam de spinis, imposuerunt ca-  
piti ejus: & veste purpurea cir-  
cumdederunt eum. Et venie-  
bant ad eum, & dicebant: Ave  
Rex Judæorum: & dabant ei a-  
lapas. Exivit ergo iterum Pila-

tus foras, & dicit eis: Ecce ad-  
duco vobis eum foras, ut co-  
gnoscatis quia nullam inveni-  
o in eo causam. Exivit ergo JE-  
SUS, portans coronam spinet-  
am, & purpureum vestimen-  
tum. Credo.

*Offertorium.*

Tuam Coronam adoramus  
Domine, tuam gloriosam reco-  
limus passionem.

*Secreta.*

**T**uorum militum, Rex o-  
mnipotens, virtutem ro-  
bora: ut quos in hujus mortali-  
tatis stadio Unigeniti Filii tui  
Corona lætificat, consummato  
cursu certaminis, immortalita-  
tis bravium apprehendat. Per  
eundem Dominum, &c.

*Præfatio de Cruce.*

*Communio.* Lætare Mater no-  
stra, quia dabit Dominus capi-  
ti tuo augmenta gratiarum, &  
Corona inclyta proteget te.

*Postcommunio:*

**S**upplices te rogamus, omni-  
potens Deus: ut hæc Sacra-  
menta, quæ sumpsimus, per Sa-  
cro sanctæ Filii tui Coronæ, cu-  
jus solemnia recensemus, vir-  
tutem, nobis proficiant ad me-  
delam. Per eundem Domi-  
num, &c.



X. III. 16



975417 Bibliotheca 6000 J.  
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



10293

